

abit rectum de Deo sensum, rectum in Deum cultum. Bre-  
 viter quidem, sed nervosè. Sensus enim & cultus vera pie-  
 tatis membra sunt, sine quorum altero pietas mutila est  
 & manca. Cognitio sine cultu noxia est, cultus sine co-  
gnitione vanus imò nullus. A sensu igitur progredien-  
 dum ad cultum. Verus autem sensus & perfectus non ni-  
 si è sacris literis disci potest, ad quas lectorem meum  
 jam remitto, ut inde cum recto sensu rectum quoque co-  
 gnoscat cultum. Julianus Apostata procul dubio Deum  
 cognovit, utpote à teneris in Christianismo institutus,  
 sed non coluit. Constantinus M. & cognovit & coluit,  
 proinde verè pius fuit.

4 Pietati in excessu opponitur superstitiosi-  
 tas, quâ homo proclivis est ad Deum aliter quàm  
 decet colendum.

S C H O L. Græcè dicitur δεισιδαιμονία, q. d. metus  
numinis scilicet nimis. Qui pro suo arbitrio extra S.  
 Scripturæ normam divinos cultus fingunt, superstitiosi  
 sunt, cujus rei in S. Scriptura passim plurima extant ex-  
 empla. Differunt autem superstitiositas & superstitio.  
Illa est vitium in homine, hæc verò est actus vitii qui  
certo objecto exercetur. Quum certis rebus, vel obser-  
 vationibus gestuum aut verborum, tribuuntur effectus,  
 qui neque physicis rationibus, neque politicis, neque  
 verbo Dei nituntur, superstitio dicitur, quâ qui imbutus  
 est, dicitur superstitiosus, in quo est superstitiositas. Abs-  
 tinentia ab esu carniū diebus Veneris & tempore qua-  
 dragesimarum ut vocatur, est superstitio; cujus generis  
 quamplurima exempla in Papatu videre est, maximè  
 circa sanctorum reliquias, quas somniant.

5 In defectu pietati opponitur Impietas, per  
 quam homo à religioso Dei cultu est alienus.

S C H O L. Hujus generis sunt omnes ἀθεοί, blasphe-  
 mi, perjuri, & qui quovis modo ex petulantia & contu-  
 macia sese Deo opponunt, seque ἀνυποτάκτους declarant.  
 Talis

*qui iusiurandum  
violant.*